

homine dignum, dicta ac tradita piis mentibus fuerint improba-
ta. Nec hoc is, qui *Marsbamum Lipsiæ Anno 1676. in Quarto* recu-
dendum curavit, qua ex editione citavi paginas in hac Disputa-
tione occurrentes, in *prefatione* huic libro præfixa, subticet, si-
mulq; de eo caute legendo lectorem admonet. *Non dissimulan-
dum, ait, contigisse illustri Viro, quod contingere iis solet, qui supra
vulgus sapiunt, ut novas subinde ac singulares opiniones sectare-
tur, iisq; fulciendis S. etiam Scripturæ loca quedam in novum sen-
sum inflecteret:* Sic fieri solet, ut in scrutinio S. literarum nimis
curiosam adhibendo diligentiam & emungendo textum, san-
guinem quis potius, quam succum exprimat, ut in simili mate-
ria de *Coccejo* loquitur *Magnif. noster Patronus & Præceptor*
omni filiali observantia ætatem colendus, Dominus Doct. Fecht,
in Coll. Hist. Eccl. Sec. XVII. §. 23.

§. 2. Summa sententiæ ipsius eo tendit: Deum, cum popu-
lum suum perfrictæ frontis & rituum receptorum tenacissi-
mum ab idololatræ cultu, aliisq; quibus in Ægypto, illustri il-
la superstitionis schola, adhæserat, pravis moribus esset revoca-
turus, non omnes ritus, in Ægyptiaco cultu usitados, abrogasse,
sed multos, quanquam emendatos, velut *συγκαταβάσει* tole-
rasse, inq; album suorum sacrorum transtulisse. Verba ipsius
hæc sunt, quæ leguntur *Sec. IX. p. 154. Ex S. literis cognoscimus,
Ebreos diutinos fuisse Ægypti incolas: illos aut mores Ægyptios
non penitus exuisse, sed mansisse aliquas discipline Ægyptiæ re-
liquias non immerito suspicari possumus. Multæ Mosis leges ex an-
tiquis moribus. Quicquid verum Numinis cultum impediret, stri-
ctè interdicitur. Moses plerosque Ægyptiorum ritus abrogavit,
quosdam immutavit, quosdam permisit, imo iussit. Istarum re-
rum Ægyptiacarum ἀδιαφορία in iis maxime cernitur, quæ ad
Hebraicas propius accedunt. Et p. 189. Ægyptii ut πολιτεία, ita
religione gentes ceteras præcesserunt: eorum ritus ad alios popu-
los translati, etiam ab Hebraeis (non sine emendatione forsan) usur-
pati sunt. Hinc Tempa, Tabernaculum, Festa, Sacrificia, Hirci
emis-*